

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis conlebantur

Cartari, Vincenzo

Moguntiae, 1687

De Jano

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-341151)

nexa, ut per feriem quamdam aliud ex alio trahatur? aut quia tempora sic mutuo sibi coharent, ut deinceps se sequantur. Cum vero ea velocissimo cursu effluant, ideo fortasse Poetae eum in concitatissimum equum conversum finxerunt, cum ab uxore, una cum Philyra Nympha concubens (ex qua Chironem Centaurum suscepit) est deprehensus: sed tamen in equum mutatus statim se ab uxoris conspectu abstulit. Quare Virgilius, lib. Georgic. III. cum nobis pulcherrimum equum informaret, Saturnum inducit, ita inquit?

*Talis & ipse inham cervice effudit equum,
Conjugis adventu pernix Saturnus; & altum
Pelion hinnitus fugiens inplevit acuto.*

Sed harum rerum tractatio magis spectaret ad eum, qui antiquorum de Diis fabulas explicandas sumpsisset, quam ad nos, qui eorum tantum imagines effingendas proposuimus: In quo cum videamur satis de Saturno dixisse, ex eo ad Ianum in regno socium, gradum faciendum duximus.

DE JANO.

EX historiis patet, Saturnum atque Ianum eodem tempore in Italia re-gnasse: Macrobius addit, Ianum omnium primum Deis ibi templa con-struxisse, ritumque sacrorum instituisse. Quare ipse quoque pro Deo est ha-bitus: & veteri instituto in sacrificiis Ianum Latini perpetuo praefari sole-bant: quod haec etiam de causa factum dicunt, quod eum pro caeli januis asse-re crederent, quare nostrae illuc preces haud potuissent pervenire, nisi is ad-itus patefecisset; immo erat (credo) necessarium ut ad eo manu fulcirentur, quo inambulare possent: preces enim, si Homero credimus, claudae existunt: cujus rei ea videtur pene ratio reddi, quod, cum aliquem oramus, ei genua in-flectimus: vel quia, cum aliquid petitur accedimus, in ancipiti- ti versamur, postulata impetraturi sumus, necne. Sunt eadem vultu maesto, ac strabis oculis, quod graviter, & ore parum hilari intueri queant quos offenderunt, & a quibus veniam deprecantur. Coeli portae sunt duae, altera ad orientem, per quam Sol, orbem terrarum illustraturus emergit: ad occidentem altera, ex qua exiens, diem cum nocte commutat. Macrobius, & nonnulli quoque alij pro Iano solem intelligi volunt: quamobrem ei porta-rum caeli custodiam demandant: ingredi enim, atque egredi est ei semper integrum. Ideo etiam eum bifrontem effecerunt, ut scilicet ostenderent, So-li, si posteriora spectare velit, nihil esse opus retro respicere. Sceptrum altera manu, altera clavem gestat, ut intelligamus, Solum orbi universo mode-rari, eundemque aperire eum mane ingreditur, vesperi autem cum inde mi-grat, ocludere. Hinc est creditum Ianum atque Portunum idem numen esse, cum hic ostiis praesse putaretur, clavemque manu teneret, quemadmodum

& Ia-

*Preces quales
sint.*

Coeli portae.

Iani imago.

& Janus. Ex quo aliud quoque numen derivavit, quod est circa januarum cardines. Ovidius enim 6. Fastorum narrat, Janum, cum Nympham Cranem nomine compressisset, eam propositæ virginittatis pretio, jure cardinis donasse, ut penes eam illarum claudendarum, aut aperendarum potestas esset: spinam quoque albam, Janalem virgam nuncupatam, ei est clariguitus, qua striges, caeterasque noxas, quæ infantibus solent obesse, à foribus arceret. Hæc *Nympha Carna* postea, atque *Cerdinea* est vocitata: cujus in tutela cor, jecur, aliaque hominis viscera erant. Solebant Romani Kal. Junis in hujus Deæ honorem sinillo lardo, faba, atque fare vesci; vel quod ejus ope sibi viscera haud læsum iri sperarent; vel quod priscorum temporum, quibus Dea illa fuerat, parsimoniam, atque omnis luxuriæ adscitarum aliunde dapum fugam imitari volebant. Huic Romæ in Monte Calio templum à Bruto, qui se insanum sinxerat, positum comperio, ea de causa, quod ejus patrocinio bene fausteque quodtandiu calaverat, clausumque pectore gestaverat, successisset, impotenti Tarquinii Superbi dominatu abolito. Sed nondum me quicquam de ejus simulacro legisse memini. Siquis vero aliquod effingere voluerit, ex iis quæ dicta sunt, non difficile admodum, aliquod ipsius Deæ naturæ maxime accommodatum, poterit excogitare. Erat etiam apud antiquos *Forulus*, vel, ut alii dicunt *Forculus*, qui foribus præerat, quæ super cardines versatæ clauduntur, aperiunturve. *Limentinum* quoque Deum colebant, qui liminis erat præses. Quare merito *D. Augustinus* eorum recordiam irridet, tria hæc munera ab uno tantum ostiario perquam commode obiri posse asserens, quibus illi tria numina præfici, oportere decernunt, quæ sunt, *Cardinea*, *Forulus*, atque *Limentinus*. Sed nunc tandem ad rem, de qua agebamus revertamur. Dicebamus enim Janum eundem atque Solem diem aperire, itemque claudere: idem quoque de anno facit; nam ineunte vero annum aperit, cum terram ad herbarum florumque productionem movet, ejusque fecundissimum sinum patefacit, quem hieme claudit, cum ea omnibus suis ornamentis privata, constipatur, nivis ac glaciæ rigore constricta. Binæ quoque Jani facies temporis sunt signa, quarum altera quæ adolescentem refert, tempus mox ad-venturum representat; altera, quæ eum grandem jam natu ostendit, præteritorum temporum est argumentum. *Plinius* libro trigesimo quarto, Janum à Numa rege dicatum ait, digitis ita figuratis, ut *CCCLXV.* nota per significationem anni, temporis, & a vi se Deum indicaret, tot enim diebus annus constat; nam apud antiquos digitorum varia inflexione, quos quisque vellet numeros, facile ostendebat: de qua numerandi ratione exstat adhuc sanequam eruditus *Beda* liber. *Suidas* scribit, alios Janum effingere in dextera manu tenentem clavem, ut temporis principium, ac anni reclusorem, janitorumque alios vero in dextera *CCC.* sinistra *LXV.* continere.

*Forculus**Deus.**Limentinus**Deus.**Jani facies**quid significent.*

*Janus cur
biceps.*

*Antevorta
& Postvorta
ta imagines.*

*Janus bina fa-
ci: s quid in
animo signi-
ficent.*

ut annum significet. Phœnices, M. Tullio, atque Macrobio ita referente, Janum mundi symbolum sunt arbitrati: quare serpente caudam suam vorante, eum representabant, mundus enim seipsum alit, & assidue in orbem torquetur; quod rerum omnium ortus, interitus, vicissitudo, atque instauratio aperte nobis ostendunt. Sed & Plutarchus, tur biceps effingeretur, in causis Romanorum capitum edisserit; vel quod cum ipse Janus Perihæbus esset, post, cum in Italiam venisset, linguam, & vivendi rationem immutasset: vel, quod Italos, cum agrestes, ac barbari essent, ad mansuetiorem vitam & republ. administrandam pellexisset. Alii ad sapientum regum prudentiam id referunt, qui ut res quas præ manibus habent, sapientissimo consilio administrent, una facie futura multo ante cognoscunt, antequam eveniant, altera præteritorum memoriam retinent: ex utrorumque autem collatione, quid sit in unoquoque statuendum, vident. Hoc autem in principes optime quadrat, cum juxta Plutarchi sententiam ij sint vivæ Deorum imagines. Apud veteres Antevorta, ac Postvorta, Divinitatis comites colebantur; quo innuebant, nihil divinam sapientiam, sit illud licet præteritum, aut futurum, latere: ita Reges, quos in terris Deorum loco habemus, omnia novisse oportere quæ ad optimam regni administrationem facere videantur. Nonnulli quoque voluerunt, Janum esse illud chaos; rudem rerum omnium, indigestamque molem, quam poëta ante mundi conditionem existisse fingunt; ac propterea alteram ejus faciem horridam, hirsutam, obscuramque videri: alteram vero hilarem, pulchram, juvenilemque effingi, ut pulchritudo ex rerum distinctione, ac perenni ordine profecta, significaretur. Atque ita tamquam principiorum Deum esse cultum, cui omnium rerum primordia essent consecranda. Sed nos à rebus ex materia concretis ad ea quæ inrelliguntur transcamus, ac Jani bicipitis imaginem animo nostro accommodemus: de qua re breviter quidem, sed intelligenter non nulla attingemus. Humanus animus (ut Platonici sentiunt) cum primum est à Deo conditus, ad eum ut patris amantissima proles natu: aliquid quodam instinctu sese convertit, quippe qui dulcissimi parentis faciem revifere vehementer exoptet: quæ quidem cupiditas ita est menti innata, ut flammæ est proprium sursum ascendere, natura assidue illam ad id, unde exordium sumpsit, instigante: Nam ignis hic ex superiorum corporum virtute accenditur: non secus ac divina particula auræ, quam pectore inclusam gestamus, cum sciat se à Deo inspiratam, ad Deum miro quodam ardore anhelat. At hoc desiderium, seu lumen dicere malumus, non idem semper perseverat; quo enim magis cum animo cohæret, eo minus clarum efficitur, quoad in eo penitus obrutum ita obtenebretur, ut nullum fere amplius ex se lumen emittat; quo fiat ut is, Deo, divinisque rebus è cogitatione abolitis, se tantum, inferioraque intuea-





intueatur. Sed tamen non ita divinum illud lumen in nobis hebescit, ut cælestia non sinat nos amplius contemplari: at semina quædam, & scintillæ interdum divinitus emicant, quibus, si modo velimus, ad Deum postliminio reverti conceditur. Quare duobus est mens nostra luminibus prædita, quorum alterum ab ortu traxit, eoque seipsam, inferioraque contemplatur, altero divinitus illapso, tamquam duce ad cælestia perscrutanda utitur. Hæc ambo lumina ex Iani effigie animadvertamus licet: Divinum illud, ac postea adveniens juvenili facie significatur; naturale, quod est nobis ingenitum, senilis nobis aspectus atque barbatus designat; omnia enim, quæ hic oriuntur, subinde mutantur, inveterascuntque; eorum etiam cognitio, lumine naturali comparata, plurimum in se obscuritatis, ambiguitatisque continet: Quare res hujusmodi obtusa oculorum acie cernimus: Divina vero, qualis est Deus opt. max. mentes illæ corporibus exuta, cælestes orbis, quæ illustria quidem sunt, neque interitus, aut mutationi ulli sunt obnoxia, animus noster acuto obtuta, lumine sibi divinitus indito, intuetur. Alia quoque nonnulla, quæ nostris in animis existunt, ad bicipitem Janum accommodari possent; sed, quia obscuriora sunt, neque multum ad rem nostram facere videntur, prætermittamus. Sed & quadricipitem Janum veteres effinxerunt: Nam hujusmodi statua in quodam Hetruriæ loco est reperta: hæc Janus pro anno proculdubio ponebatur, cujus sunt quatuor tempora, quatuor ejus faciebus adumbrata; ea sunt Ver, Æstas, Autumnus, Hiems, quæ apud præcos vario aspectu, atque habitu depingebantur, prout ab Ovidio secundo Metamorph. suis quasi lineamentis designantur, cum Phœbi folium describit. Sed elegantissima ejus carmina opponamus; quæ sunt ejusmodi.

Verque novum stabat cinctum florente corona;
Stabat nuda Æstas, & spicæ ferta gerebat;
Stabat & Autumnus, calcatis sordibus urvis,
Et glaciâlis Hyems, canos hirsuta capillos.

Aliter interdum hæc anni tempora ostenduntur: Venus enim pro Vere, pro Æstate Ceres, pro Autumno Bacchus sumitur; Hiemem partim Vulcanus ad fornacem ardentem adstans, partim Venti una cum Æolo eorum Rege, (hoc enim tempore præcipue, si unquam alias, tempestates excitantur) nobis representant. Duodecim etiam aras antiqui Jano posuerunt, quæ duodecim anni mensium, vel totidem signiferi segmentorum, per quæ singulis annis Sol decurrit, significationem habent. Romæ erat templum Jano sacrum cujus testudo quatuor columnis pilatis sustentabatur, quatuor perviis januis: in singulis, vero loculamenta duodecim, tanquam fenestellæ in quibus statuæ reponerentur: Has quidam existimant duodecim mensium, quæ in quatuor anni tempora dividuntur, imaginem præ se ferre:

Ejus

Imago 44.

Ejus templum à Numa extructum, duas habuisse portas legimus; in cuius vestibulo Janus insigni in solio sedebat: Paltulcius atque Clusius ab aperiendis, claudendisve portis vocabatur: hæ belli portæ dicebantur: Quas Virgilius in VII. Æneid. ita describit.

*Sunt gemina belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacra, & sevis formidine Martis:
Centum axei claudunt veltes æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Janus.
Hæc, ubi certa sedet patribus sententia pugna,
Ipse quivernali trabica, cinctusque Gabino
Insignis referat stricentia lumina Consul:
Ipse vocat pugnas; Sequitur tum cætera pubes.*

Dum vero bellum duraret, portæ assidue patebant: quo absoluto statim claudebantur. Hoc à Numa institutum, à posteris sancte ac religiose semper servatum fuit, quemadmodum Plutarchus refert, Quare Janus pacem bellumque in manibus habere est dictus, ut de se apud Ovidium primo fast. prædicat, eum suorum Væstorum rationem reddit. Hujus rei licet multiplex possit esse causa; illa tamen mihi potissima videtur quod Jano cælum in-
tui, cum alii plerique, tum Marcus Tullius existimavit, quod, cum perenni motu in orbem torqueatur, siderum conjunctiones, varios inter ea aspectus ac comparationes efficit, quibus fit, ut inter Astrologos constat; alii ad alia sint propensi: Quamobrem vulgo dicitur, plurimas humanarum rerum, præsertim bellum atque pacem è cælo portendi. Itaque eo fortasse valvarum aperiendarum aut claudendarum ritus spectabat, qui in Jani Templo observabatur. Erant præterea in foro Romano duo Jani, ubi celebris erat mercatorum locus; nam argentarii ac numularii, cæterique hujusmodi in Janis nuncupatis suam artem exercere solebant: is enim primordiorum Deus putabatur, atque ideo Kalendis præerat, & Junonius dicebatur, quod omnium mensium ingressum teneret, ut etiam Juno Kalendis que sceneratores pecunias scænorum collocare solebant. Jani quoque arcus quadriformes ac pervii dicebantur qui in pompis triumphalibus per urbem ad Jani templi similitudinem excitabantur. Quare Suetonius de superbia fastuque Domitiani loquens, ita inquit; Janos arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones urbis exstruxit.

Imago s. a.

DE APOLLINE, PHOEBO QUI ET SOL DICITUR.

*Dii apud antiquos quo factis intro-
mitti.*

VARIE ac diversæ de rerum primordiis sententiæ apud antiquos e. a. terunt: nam alii aliud de universitatis hujus conditore ac de materia ex qua coagmentata esset, opinabantur: ideoque Poetæ, qui omnium primi de Diis scripserunt maximam eorum multitudi-
nera